

# Die Benutzungsordnung von 1771

CAROLUS FRIDERICUS

DEI GRATIA MARCHIO

Badae atque Hochbergae, Landgravius Sausenbergae, Comes Sponhemii atque Ebersteinii, Dynasta Roetelae, Badavillae, Lahrae & Mahlbergae, caet.

Vniversis & singulis, ad quos hae Literae spectant, Salutem!

Quum Bibliothecam a Serenissimis Majoribus Nostris inchoatam, a Nobis auctam publico eorum, qui literarum studiis & bonis artibus incumbunt, vsui destinauerimus; institutum hoc Nostrum Lege quadam sancire ac reddere solemne non abs re Nobis visum est; vti quid fieri, quid(q)ue euitari circa Bibliothecae vsum oporteat, cunctis eadem adituris innotescat. Sancimus vero quae fere sequuntur.

- I. Singulis Mercurii & Saturni diebus Hora matutina X. Ad XII. & post meridiem Hora III. ad V. vsque Bibliotheca pateto.
- II. Libros ex forulis depromere, euoluere, perlustrare iisque coram decenter vti fas esto, quo facto in eumdem illi, quem tenebant qui(q)ue Catalogo adnotatus est, locum reconduntur.
- III. Libri commodati solerter in Diarium librorum commodatorum referuntur, semel rubrica tenus, deinde sub nomine Commodatarii die, quo dabantur, adiecto.
- IV. Syngrapham ad Bibliothecam mittito quicumque libros inde petierit domum sibi adferendos.
- V. Codices manuscripti aut impressi rariores ad aedes nisi ponderosis ex causis ne commodantur.
- VI. Libros si quis ex Bibliotheca acceperit, is quidem caueto, ne quid illi detrimenti capiant, neue omnino perdantur; alioquin nouos ipse propriis sumptibus reddito aut damna praestato.
- VII. Elapso quoque mense libri commodati ad Bibliothecam reportantur, aut si quis vltra id tempus opus iisdem habeat, nouam syngrapham dato atque in Diario recens dies notator.
- VIII. Omnium quotquot ex Officinis librariis Nostrae ditionis edentur Operum bina exempla ad Bibliothecam exhibentur.

IX. Libros auferre inscio vel inuito Bibliothecae Praefecto aut Custode,  
plagiaue literaria committere libros(q)ue suffurari si quis temere ausit, in  
eum vtique grauiter secundum Leges animaduertitor.

Ad manifestandam voluntatem Nostram atque hanc Legem auctoritate perpetua  
muniendam manu propria eamdem signauimus & Bibliothecae valuis affigi  
jussimus. Dabamus Carolsruhe è Senatu Nostro, prid, Kal. Januar. MDCCLXXI.

CAROLUS FRIDERICUS  
MARCHIO BADENSIS.

(L. S.)

AUGUSTUS JOANNES DE HAHN.  
JOANNES ERNESTUS BÜRCKLIN.

Ad Mandatum Serenissimi Marchionis proprium.

F. MOLTER.